



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De conuersione domini Adolphi Episcopi Osnaburgensis, cap. 22.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

ita est compunctus, ita ad conuersionem est accensus, ut qui prius a Domino Geuardo Abbate admonitus, conuerti noluerat, ab illa hora ut susciperetur, vix multis precibus obtineret. Talem modum suae conuersionis sapius mihi recitauit tempore suae probationis. Recitauit mihi & frater Bernardus monachus noster in Vilario monasterio, ad visionem similis veniae primùm voluntatem conuertendi se concepisse. APOLLONIVS: Miror quòd res tam modica tam magnum salutem operatur in anima. CAESARIUS: Quid de hoc miraris? Quantum ad massam, multum modica est pillula, sed quantum ad efficaciam, virtus illius est maxima; omnes corporis venas percurrit, humores soluit & ejicit, infirmum ad sanitatem conuertit. Si tanta virtus consistit in perceptione vnus corporalis pillulae, quare mirari debes maiorem esse, & ideo maiorem, quia spiritualem, in visione vnus veniae? Audi & aliud.

CAPVT XXII.

NOBILIS adolescens dominus Adolphus, nunc Episcopus Osnaburgensis, canonicus fuerat maioris ecclesiae in Colonia; hic cum tempore quodam ad Campum, domum ordinis nostrum venisset, & post missam ad orationem in oratorio staret, vidit quomodo monachi, tam senes quam iuuenes, ad vniuersa currentes altaria, ad disciplinas suscipiendas nudabant dorsa sua, humiliter confitentes peccata sua: quae visio, sicut mihi quidam eius familiaris narrauit, tantum boni operata est in corde adolescentis, ut abire non posset, sed seculi pompam contemnens, & totum se ad Deum conuertens, ibidem manens, sacrum religionis habitum susciperet: in quo tantum profecit, ut non multo tempore post, tum propter nobilitatem tum propter religiositatem, in praedicta ecclesia apicem conscenderet episcopalem.

CAPVT XXIII.

NOSTRI Henricum camerarium nostrum, huius conuersio talis fuit: Cum esset clericus, & maioris ecclesiae in Treueri canonicus, atque multis alijs